æqui-differentes, quum eorum sinus seu quantitates sint proportionales (prout ex def. Logarithmi, & utriusque motus patet, & in constructione logarithmorum amplius aliquando patebit.) proportionalium ergo quantitatum æqui-differentes sunt Logarithmi.

Propos. 2. *Ex trium proportionalium Logarithmis, duplum secundi seu medii minutum primo, æquatur tertio.*

Quum, per prop. 1. differentia logarithmorum primi & secundi æquetur differentiæ logarithmorum secundi & tertii, id est, secũdus minutus primo æquetur tertio minus secundo: Ideo addito secundo ad utrumque æquationis latus proveniet bis secundus seu duplum secundi minutum primo æquale tertio, quod erat probandum.

Propos. 3. *Ex trium proportionalium logarithmis, duplum secundi seu medii æquatur aggregato extremorum.*

Ex præcedente prop. 2. duplum secundi minutum primo æquatur tertio. Vtrique æqualium laterum adde primum, & exurget duplũ secundi æquale primo & tertio, id est, aggregato extremorum, quod erat demonstrandum.

Propos. 4. *Ex quatuor proportionalium logarithmis, aggregatum secundi & tertii minutum primo æquatur quarto.*

Quum per 1. prop. ex quatuor proportionalium logarithmis, secundus minutus primo, æquetur quarto minus tertio, utrique æqualitatis lateri, adde tertium, & fient secundus & tertius minuti primo æquales quarto, quod erat propositum.

Propos. 5. *Ex quatuor proportionalium logarithmis aggregatum mediorum (secundi, scilicet, & tertii) æquatur aggregato extremorum, primi videlicet, & quarti.*

Per prop. 4. præcedentem, secundus & tertius minuti primo erant æquales quarto: utrique æqualitatis lateri adde primum, & fiet secundus, plus tertio æqualis quarto, plus primo, quod demonstrandum erat.

Propos. 6. *Ex quatuor continuè proportionalium logarithmis triplum alterutrius mediorum æquatur aggregato extremi remoti, & dupli vicini.*

Per secundam prop. duplum secundi seu medii minutum primo est æquale tertio: & per tertiam prop. duplum hujus, quod est, quadruplum secundi minutum duplo primi, æquabitur aggregato suorum extremorum, videlicet quarto plus secundo. Iam si ab utroque æqualitatis latere subduxeris secundum, fiet triplum secundi minutum duplo primi æquale quarto. hujus rursus æqualitatis lateribus adde duplum primi, & exurget triplum secundi æquale quarto plus primi duplo: quod probandum suscepimus.

Admonitio.

HVc usque logarithmorum genesin & symptomata explicavimus: quo verò calculo, quave logisticæ methodo habeantur, hoc loco explicandum foret. Sed quia ipsum canonem integrum, ejusque logarithmos omnes cum suis sinibus ad singulas quadrantis minutias primas exhibemus, ideo in tempus magis idoneum doctrinam constructionis logarithmorum transilientes, ad eorum usum properamus, ut prælibatis prius usu, & rei utilitate, cętera aut magis placeant posthac edenda, aut minus saltem displiceant silentio sepulta. Præstolor enim eruditorum de his judicium & censuram, priusquam cætera in lucem temerè prolata lividorum detrectationi exponantur.

CAP. III.

Descriptionem complectens tabulæ logarithmorum, & septem ejus columnarum.

Sectio. 1. *PRima columna est expressè arcuum ab 0. in 45. Gra. crescentium: & subintelligitur esse etiam suorum ad semicirculum reliquorum.*

Sectio. 2. *Septima autem columna est arcuum à quadrante in 45. gradum decrescentium: & subintelligitur esse etiam suorum ad semicirculum reliquorum.*

Sectio. 3. *Unde alterius columnæ arcus, sunt arcuum alterius è regione respondentium complementa.*